

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Dissertatio De iudiciis sanctorum super mundum ad
Matth. XIX. 28. coll. I. Cor. VI. 2.**

**Foertsch, Michael
Wucherer, Johann Jacob**

Ienae, 1721

[urn:nbn:de:bsz:31-130277](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130277)



60 A 2691,1

EX
BIBLIOTHECA
ILLUSTRIS
CAROLI HESYCHEI.

657/23

Q. D. B. V.

DISSERTATIO

DE

IVDICIIIS SANCTORVM
SVPER MVNDVM

AD MATTH. XIX. 28. coll. 1. CORINTH. VI. 2.

QVAM

SVB AVSPICIIS NVMINIS DIVINI,

PRAESIDE

DN. MICHAELE FOERTSCHIO

S. S. THEOL. D. ET PROF. PVBL. ORDINAR. PRIMARIO,
ET FACVLTATIS SENIORE &c.

*PATRONO, PRAECEPTORE AC HOSPITE SVO SYMME
DEVENERANDO,*

DIE XVI APRIL, MDCCXXI,

PVBLICO ERVDITORVM DISQVISITIONI

SVBMITTET

RESPONDENS

IOH. IACOBVS WVCHERER.

REVTTLINGENSIS.

I E N A E

LITERIS VVERTHERIANIS.

1721

VRBIS IMPERIALIS
REVTTLINGENSIS
SENATVI INCLYTO
VIRIS
AMPLISSIMIS, NOBILISSIMIS, CONSVLTISSIMO
GRAVISSIMIS, PRVDENTISSIMIS
DOMINIS
CONSVLIBVS,
SYNDICO,
PRÆTORIBVS,
ET
RELIQVIS SENATORII ORDINIS
MEMBRIS SPLENDIDISSIMIS
PATRIÆ PATRIBVS SPECTATISSIMIS.
PATRONIS, AVVNCVLO, ATQVE COGNATIS SVIS
PER OMNEM VITAM
COLENDISSIMIS.

UT ET
MAXIME VENERANDO EIVSDEM
MINISTERIO ECCLESIASTICO,
VIRIS
SUMME REVERENDIS, DOCTISSIMIS,
ET
DE ECCLESIA REVTTLINGENSI
OPTIME MERITIS.
DOMINIS
SUPERATTENDENTI,
PASTORI,
DIACONIS,
NEC NON
PASTORI XENODOCHII,
DOMINIS PATRONIS, COGNATIS, ATQVE
FAVORIBVS SVIS AD CINERES VSQVE
DEVENERANDIS,
DISSERTATIONEM HANC THEOLOGICAM,
STVDIORVM SVORVM SPECIMEN,
IN PIETATIS ET OBSERVANTIAE DEBITAE
SIGNVM,
SACRAM ESSE VOLVIT,
DEBVI,
RESPONDENS.

CONSPICUAT EPISTOLA
AD
DOMINVM RESPONDENTEM



Ipse Auctor es, Nobilissime WUCHERERE praesentis Instituti, quod profluxit ex Amore Tuo erga Patriam, dum in memoriam revocasti incomparabile beneficium Divina Gratia Vobis exhibitum in Reformatione B. LUTHERI, qua Lux Evangelii restituta, & avide accepta est; quemadmodum nuper Praenobilissimus & Consultissimus Dominus BEGERUS, Patronus & Avunculus Tuus Aestumatissimus ex Actis & Documentis publicis illud ipsum repetiit. Sub manum tum venerat illustre argumentum: DE JUDICIIS SANCTORUM SUPER MUNDUM. *Matth. XIX. 28. col. 1. Cor. VI, 2.* Proinde non potui non hac occasione, Relationis illius luculentae mentionem facere; nam & in Illa se prodidere *Judicia* sanctorum, praesertim illius B. AULBERI Antistitis de Reuttlinae purioribus sacris summe Meriti. Potuisset quidem argumentum prolixiori discussione & distinctione deductioneque amplificari, cum imprimis a receptiore sententia discesserimus in explicandis locis adductis, & in amplissimum campum, Historiae Ecclesiasticae ita postulante Reipsa & Explicatione nostra, ingressi simus. Sed cum abitu maturares, jussu SUPERIORUM, consilium scribendi intra brevitatem coercendum fuit: Est tamen ampla materia hic in promptu, in qua industriam, & Ingenium exercere poteras. Nam cum inde ab eo tempore, quo hic commoratus es studiorum causa, Pietatem, Modestiam, & in studiis sacris Constantiam probaveris, ac propterea ad Homilias publice e suggestu Templi nostri habendas admissus fueris, meisque vicibus functus sis; nullus dubitabam, conatus tuos in Cathedra Academica non sine fructu fore. Quam ob rem Tibi gratulor animitus, DEUMque precor, ut salvum & in columen non modo in Patriam reducat, sed & selectum ibi instrumentum ad amplificandam Ecclesiam, ornandamque Patriam evadas.

PRÆSES DISSERTATIONIS.

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

- §. I. Fideles seu Christiani scopum habent, ad quem tendunt, veram beatitudinem.
- §. II. Discipuli Christi hic aberrantes Christum interrogant de premio sequela sua. Responsio Christi in loco nostro, collato altero 1. Cor. VI. 2.
- §. III. Vox Regeneratio in textu consideratur. Diversa ejus acceptio, AUGUSTINUS, SUICERUS.
- §. IV. Communis sententia de Regeneratione h.l. cum suis rationibus.
- §. V. Altera sententia, quae Regenerationem de tempore Exaltationis Christi explicat, ROELLIUS & Ejus argg.
- §. VI. Comparatio utriusque sententiae. Illustramentum ex verbis, orax, quando sedebit in throno Majestatis suae.
- §. VII. Quomodo B. GERHARDUS explicet: Sessionem in throno Majestatis? nempe de manifestatione Christi in futuro judicio. Collata HILARII sententia. Loci nostri paraphrasis.
- §. VIII. Confirmatur ex indole Regenerationis.
- §. IX. Obstacles remouentur. LIGHTFOOTI objectiones, quid sessio Apostolorum in 12. thronis, & judicium super tribus Israel? LIGHTFOOTI objectiones, & responsiones illarum. Calovius.
- §. X. Altera Interpretatio, quae de judiciis in his terris explicat, non est periculosa. Cujus probatio instituitur (1.) ex ipso textu. (2.) Ex Fontibus V. T. Locus Danielis. Et momenta in illo notata. (3.) Ex Apocalypsi, CLUVERUS.
- §. XI. De loco 1. Cor. VI. 2. BALDUINUS & CALOVIUS conferuntur, pro BALDUINO respondetur.
- §. XII. Quale judicium intelligatur, ex fontibus & historia sacra esse estimandum.
- §. XIII. Esse Judicium cum potestate & autoritate a Christo. Quod probatur ex Christi institutione & praxi Apostolica.
- §. XIV. Epistolas Apostolicas esse judicia sanctissima de via salutis, tribus Israel. & universo orbi exposita.
- §. XV. Judicia illa non tantum concernere res, sed & personas. Nec sigillatim tantum judicasse Apostolos, sed conjunctim cum Ecclesia.
- §. XVI.

- §. XVI. Num Petrus præ reliquis Apostolis prerogativam & potestatem judicandi Oecumenicam habuerit? B. GERHARDI Confessio Catholica. CHAMIERII Panstracia. CALIXTUS de loco Matthæi XVI. GASAUBONUS. Num Petrus & Paulus in societate præ reliquis Apostolis prerogativam habuerint? ITTIGIUS, PETRUS de MARCA.
- §. XVII. Non ad unum summum judicem, judicia esse restricta, sed ad integra Collegia & Coetus extensa. Locus Matth. XVIII. 17 explicatur breviter, & explicatio confirmatur praxi Apostolica. FECHT.
- §. XVIII. Post tempora Apostolorum varii modi administrandi judicia sanctorum fuerunt. Discrimen inter judicia Apostolorum, & post illos in Ecclesia exercita: Ubi de Pontificum infallibilitate LAU-NOIUS. PETRUS de MARCA, DU PIN.
- §. XIX. Judicia habuisse in Ecclesia effectum suum, etsi nec uni, nec pluribus indeficiens iudicium impertium sit, etiam primis seculis, ubi nondum Christiani erant Imperatores. HULSEMANNUS, PUFENDORFF. Num Imperium & Jurisdictio necessaria sint ad Ecclesiastica judicia? M. ANION. DE DOMINIS. BRUNNEMANNUS.
- §. XX. De statu judiciorum S. sub Constantino M. & postea quomodo extensa vel restricta. EUSEBIUS. SOZOMENUS. SELDENUS.
- §. XXI. Alexandrini & Romani Episcopi excessus; querela de Episcopali- bus judiciis, & Valentini III. Rescriptum SELDENUS.
- §. XXII. Crescente potestate Episcopi Romani, magis magisque a legitimis judiciis discessum est. Dictatus Hildebrandini. CALIXTUS. Gravamina Principum. CONRINGIUS.
- §. XXIII. Ad incrementa arrepta papalis potestatis judicandi, que nam presidia & pretextus concurrerint? Canon. VI. Conc. Nic. Concil. Sardicenis. HOORNBECKIUS. DU PIN. BALU- ZIUS.
- §. XXIV. Norma recte judicandi Scriptura S. neglecta; e scrinio cordis papalis cuncta petita sunt. jus Novum Pontificium, Decretales, Clementinæ, & Extravagantes, & Bullæ.

§. XXV.

- §. XXV. Hildebrandinos dictatus non statim ad praxin devenisse. Magistratum Civilem judicia sua exercuisse in Ecclesiasticas personas. OTTO Frisingensis de Friderico I. Imp. CONRADUS Urspergensis de Friderico II. fulmina Excommunicationum papalium. MONACHUS PADUANUS apud Urstisium. Fragmentum Historicum ALBERTI Argentiniensi Chronico præfixum.
- §. XXVI. Res seculares quoque ad Curiam Romanam invalescente jure novo Pontificio pertractæ. Ab iis, qui non suæ partium pontificiarum, liberrime ad normam juris & equi judicatum esse. Adplicationem tamen specialem propter infinitos casus difficilem esse; hinc jus Justinianæum in Italia primum, postea & in Germania acceptum. Quod tamen litibus finiendis non sufficit. LIPSII prolixum judicium.
- §. XXVII. Comparatio recentiorum temporum cum prima Apostolica simplicitate. Protestantium felicitas Divina Gratia per B. LUTHERUM a jugo judiciorum Pontificis liberatorum. Querela Protestantium de Episcoporum Jurisdictione in Articulis Schmalcaldicis. Necessitas emendationis.
- §. XXVIII. Reformatione B. LUTHERI quid hic præstitum sit? Fundamentum perversorum judiciorum sacrorum in Indulgentiarum destructione dirutum; prophetia Apocalypica de LUTHERO Apoc. C. XIV. Ubi judicium non demum de futuro accipiendum, sed de illo ipso, quod tum præsens erat; quo abusus judiciorum sanctorum correcti, & Anti-Christiana tyrannis, fons malorum deleri cepit. Esaie XI. 4. 2. Thess. II. 8. quo tempore Ecclesia Protestantiam quietius reguntur. Agenda Ecclesiastica, Consistoria, Superintendentes & Pastores. REUTTLINGA Patria Respondentis, Ejus felicitatis Particeps inter primos Confessores veritatis. BEGERI ibi Syndici Consultissimi Relatio ex actis & documentis publicis.
- §. XXIX. Non tamen prorsus perfecta esse judicia sanctorum, probatur, variis rationibus. Prophetie Spiritus S. de ultimis temporibus, Restare itaque adhuc aliud perfectius, & sine ullo novo judicium, in die illo Pantocritico, in quo Apostoli Adversores suis judiciis cum omnibus sanctis essutgebunt. Conclusio ex Hymno Ecclesiastico.

SS (9) SS

I. N. I.



I. N. I.

DE

IVDICIIIS SANCTORVM SVPER
MVNDVM.

AD

Matth. XIX, 28. coll. 1. Cor. VI, 2.

§. I.



Uemadmodum actionum humanarum scopus aliquis est, ad quem homines tendunt, & quomodo moventur ad operandum; ita fidelium, sive in Christum credentium finis est vera beatitudo. De hoc fine solliciti sunt, suasque ad illum actiones dirigunt, non quidem, ut per illas finem mereantur, & acquirant, attamen, ut Deo Patri suo placeant, demonstrando fructus fidei in Christo, & ceu mercedem gratuitam finem hunc obtineant

A

§. II.

§. II.

Deflectebant tamen a regula Discipuli Christi subinde, ac cespitabant, respiciendo mercedem, in hac vita gloriosam, dum vanam Regni Christi mundani spem sibi concipiebant; eo fere proposito videntur per Petrum interrogasse Christum, dicentes: *Ecce nos reliquimus omnia, & te secuti sumus, quid ergo erit nobis?* Animadvertebant Christi responsum datum Adolescenti, opera sua & perfectionem jactantanti, nec tamen ad liberalem bonorum suorum inter pauperes dispensationem assurgenti, uti Christus requirebat; cum ex adverso Ipsi omnia reliquerint, Christumque secuti sint, adeoque id suo modo præstiterint, in quo Alumnus disciplinæ Pharisaicæ defecerit. Hic jam Sospitator noster ita respondet, ut discipulos suos ad spem melioris mercedis invitet, gloriam nempe suam ipsis communicandam; *In Regeneratione enim ubi sessurus sit super thronum Majestatis suæ, ipsos quoque sessuros, super duodecim thronis & judicaturos tribus Israel.* Paulus vero generalius ait *1. Cor. VI, 2. sanctos mundum judicaturos.*

§. III.

Quæritur hic de voce *regeneratio*, quo sensu accipitur? nam in scriptura sacra obtinet diversos significatus. (1.) Denotat illud DEI beneficium, quo corrupta nostra natura per peccatum, ad imaginem DEI per Spiritum Sanctum renovatur, veluti *Job. III. 3. & 5. & ad Tit. III. 5.* Deinde (2.) notat totius naturæ in fine mundi restorationem sive renovationem; & specialius in ea restitutionem corporum per resurrectionem, & unionem cum anima sanctificata penitus; quo haud pauci ex Veteribus locum nostrum retulerunt.

Sic

Sic AVGVSTINVS *ad Pelag. L. III. Epist. C. III.* ait: *Nulla ambigente, novissimam resurrectionem in loco Matth. significat.* Quod AVGVSTINVS in universum pronunciat, de nullo ambigente, id merito restringitur; plerique enim eo referunt locum Matthæi, non tamen omnes antiqui Patres, quemadmodum & recentiores Doctores, vid. SVICERVS *in thes. Ecclesiast.* voce *παλιγγενεσία*; Quanquam neque hic in uno convenient; Alii enim hanc *regenerationem* ad solos homines restringunt; Alii vero ad totius creaturæ, renovatioem extendunt, & referunt eo *ἀποκατάστασι, Act. III. v. 21.*

§. IV.

Communior ac receptior sententia est, per *regenerationem* intelligi resurrectionem mortuorum, nam ibi demum totius nostræ naturæ perfectio restituitur, & fit plenaria peccati & mortis abolitio, quæ *regeneratio* quædam consummata est, & quoad corpus, & quoad animam, totumque statum hominis. Deinde loquitur Christus de futura aliqua *regeneratione*, seu tempore distribuendorum præmiorum, nam de præmio, ceu mercede quærebat Petrus, unde, & de eo respondet Christus. Præterea id, quod Christus Apostolis pollicetur, in illa demum universali *regeneratione* futurum est, plene & consummate; tum enim judicaturi sunt Apostoli, ceu Singulares Christi & eminentes Assessores, ac testes prædicati Evangelii in terra.

§. V.

Altera tamen sententia est, quæ *regenerationem* refert ad tempus, Christi glorificationis, siue exaltationis, quæ non destituitur rationibus; quando nempe non tantum refor-

,matio in doctrina & moribus facta est inter Judæos & Gen-
 ,tes, sed & nova plane mundi facies introducta fuit, juxta
 ,illud: *Vetera præterierunt, nova facta sunt omnia, 2. Cor.*
 ,*V. 17.* Factum illud esse per destructionem & conflagratio-
 ,nem Templi, & urbis Hierosolymitanæ, totiusque Reipu-
 ,blicæ Judaicæ, & cultus Mosaici, per rejectionem Judæo-
 ,rum, vocationem gentium, adeoque Evangelii Christi, do-
 ,ctrinæque & religionis Christianæ, per totum mundum
 ,prædicatione. Verba sunt *Roellii* Batavi, qui istam senten-
 ,tiam nuper repetiit. Argumenta Viri duo maxime sunt:
A naturali significato παλιγγενεσίας, quæ designet novam
 post corruptionem, *regenerationem*, sive innovationem,
 sicuti *Genesis* creationem mundi, seu *generationem* denotet.
 Deinde ait: *Id esse evidens, quod Lucas explicet παλιγγε-
 σίας illam per regnum Dei, regnum Cælorum, & satis diserte
 id doceri, Luc. XXII. 29. 30.* Ubi Christus Discipulis suis
disponat regnum, sicut Pater ipsi disposuerit, ac subjiciat:
*Ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, &
 sedeat super thronos, judicantes duodecim tribus Israel.*
*Regnum autem Christi, regnum DEI, regnum Cælorum, nihil
 aliud significare, quam statum illum Ecclesiæ, in quo Chri-
 stus jam collocatus in throno suo, & sedens ad dextram Ma-
 jestatis in Cælis, solus regnet per Verbum Evangelii, & Spi-
 ritum gratiæ sub N. T.*

§. VI.

Si conferamus hanc sententiam cum priore videtur ea
 contextui in hoc magis convenire, quod per sequentem vo-
 culam *ἔσται*, tempus clare videtur designari, quo *regeneratio*
*illa futura est, quando Christus nempe sedebit in throno Ma-
 jesta-*

jestatis suæ; at, non demum in resurrectione universali, sed statim post resurrectionem suam & ascensionem, *sedisse in throno Majestatis suæ*, i. e. ad dextram DEI, Scriptura S. clare indicat, cum prior & receptor sententia non possit de sessione, vel tempore, quo sessio illa cepit, quæ hic expresse habetur, explicari, sed *de manifestatione sessionis & gloria*, tum nempe, quando venturus est in Majestate sua ad iudicium. Si porro *παλιγγενεσία* referatur ad tempus præteritum, quo pertinet, quod haud pauci codices hic legunt: *qui me secuti estis in regeneratione* (quemadmodum & MILLIUS legit) intercisione facta post *παλιγγενεσίαν ἀπαξία* quædam oriri videtur in textu, ὅταν enim, quod se refert, ad immediate antecedentem *παλιγγενεσίαν* & connectitur, cum *καθίσθη*, adeoque ad id quod futurum est, extenditur, non potest ad præteritum restringi, alias emergeret absurdus & contradictorius sensus, hic nempe: *Qui me secuti estis hætenus, in regeneratione, quando nempe sedebo in throno Majestatis &c. etiam vos sedebitis &c.* en! quam incongrue! in regeneratione præterita sedebitis. Sed quicquid sit, quocunque modo interpunctio fiat, & *regeneratio* accipiatur, sequentia tamen verba sensum modo dictum de tempore resurrectionis Christi & exaltationis innuunt, si attendamus tempus initii sessionis Christi in throno Majestatis: ὅταν, quando sedebit &c.

§ VII.

B. GERHARDUS noster in *Harmonia* illud *sedere in throno Majestatis* refert ad *manifestationem* supremo die iudicii, quo *sessurus sit ut iudex in throno Majestatis suæ, iudicandi vivos & mortuos. Sedet quidem*, ita pergit memoratus summus THEOLOGUS: *Filius hominis jam in thro-*

no majestatis suæ, ad dextram cœlestis sui Patris, sed coram nobis ea jam est occulta, in novissimo autem die, quando cum gloria & Majestate magna, se judicem exhibebit, tunc omni carni adparebit, quanta illa sit majestas. Hunc diem vocat regenerationis & restitutionis omnium; quanquam & illam HILARII aliorumque cum hac conciliet, quando statuunt; intendere Christum voce regenerationis, tempus primi adventus sui, quo opus redemptionis humani generis inchoaverit, & per baptismum homines in filios DEI regeneraverit. Unde iste sensus prodiret: Non pœniteat vos jactura, quam passi videmini eo, quod me vera regenerationis Auctorem & Doctorem secuti estis præ aliis, relictis aliquibus reculis. Non deerit vobis premium, quod in magno illo regenerationis & restitutionis omnium die, dabitur vobis.

S. VIII.

Patet ex his, Interpretes referre voces in regeneratione, vel ad tempus adventus Christi in carnem, vel resurrectionem ejus e mortuis, ascensionis in Cœlum, & sessionis ad dextram DEI; vel denique resurrectionis universalis in consummatione mundi, & supremo judicio. Certum autem est, regenerationem designare proprie, & ex usu scripturæ; Gratiam illam, qua homo peccator e statu iræ in statum gratiæ per fidem transfertur. Hinc Paulus ad Tit. III. 5. Baptismum vocat lavacrum regenerationis, quod per illum homo peccator, & de novo quasi nascitur, ac e statu iræ & tenebrarum, in statum gratiæ transfertur. Inde passim regenitus sive renatus dicitur is, qui per verbum DEI, vel baptismum, operatione Spiritus S. e statu iræ DEI, in statum gratiæ translatus est. Job. III. 5. 6. 7. 8. & 1. Job. IV. 7. &c. 1. Petr. I. 3. dicitur;

tur: *DEUS regenuisse nos in spem vivam conf. Jac. I. 18.* Inde nulli dubitamus, quin Christus, qui ex eodem Spiritu locutus est, ex quo & per quem Sancti DEI viri locuti sunt, & scripserunt, hoc etiam loco voce *παλιγγενεσίας* ad illud opus gratiæ DEI respexerit, quod vel ex parte, vel ex toto cum *regeneratione* convenit, ac proinde non de mundi & creaturarum in universum *regeneratione*, sed de ea, quæ hominum est, accipi debet. Tum vero de plena illa ac consummata merito sumitur, quæ in *regeneratione* universali fit, utpote, in qua ab omnibus sordibus peccati anima jam purificata est, ita ut etiam corpora nostra incorruptibilitatem & immortalitatem induant, ut conformia fiant glorioso corpori Christi ad *Pbil. III. v. ult.* Confirmatur hæc interpretatio ex sequentibus, ubi de præmiorum elargitione sermo est, quæ in resurrectione universali certe perfecta erit, & consummata.

§. IX.

Huic interpretationi non videmus, quid obsit, nisi quod *sessio in throno majestatis*, ut antea dictum, non sumatur in significato suo primo & principali, sed ad *manifestationem* illius referatur, in die supremi judicii; quæ tamen acceptio cum præmiorum illorum elargitione perfecta & consummata, omnino convenit. Verum quid illa *sessio Apostolorum in thronis duodecim, & judicium super duodecim tribus Israel*, quæ connexa est cum throno majestatis Christi, sit, non adeo in liquido positum est; nam si ad judicium illud solemne referas; videntur novæ suboriri difficultates, & observat LIGHTFOOTUS ad h. l. judicium illud solemne ita describi in Scriptura *S.* ut omnes pii, sancti, & impii sint sistendi coram

coram tribunali DEI, ut judicandi, non ut ipsi judicent. *Matth. XXV. 32. 2. Cor. V. 10.* Deinde mentio tantum fit *duodecim tribuum* judicandarum, cum illud judicium sit universale, non tantum judæorum; sed LIGHTFOOT facile respondetur, adducunt enim Interpretes rationes aliquas in re obscura sufficientes, ob quas speciatim *duodecim tribuum Israel, & judicii super illas* mentio fiat; Veluti, quod Apostoli secundum numerum illarum *tribuum* electi sint, & primum ad eas missi, ad prædicandum Evangelium. Nec illa LIGHTFOOTI prior ratio aliquid evincit; non enim obstat huic judicio sanctorum, quod omnes sistendi sunt coram tribunali divino, nam & ipsi sancti nihilominus dicuntur *sedere*, & quidem *in throno Christi & Patris, Apoc. III. 21.* Nimirum postquam ipsi latam Christi sententiam acceperunt; *in thronos judicarios*, & ipsi ceu Reges a Christo, & judices mundi constituti infideles & impios judicabunt, cum Christo *sessuri in throno ejus*, prout nempe cuique assignaverit sedem suam conf, hic B. CALOVIUS.

§. X.

Non tamen illam alteram interpretationem de judiciis in his terris inconvenientem esse, aut aliquid periculi in se habere, putamus, illam, inquam, quæ præmia Apostolis, & sanctis promissa, etiam in hac vita impertienda, collocat, consummanda demum in æterna. Nam (1) si presse sumamus terminum *sessionis Apostolorum, & judicii ipsorum*, uti certe per regulas interpretationis licet, non poterit non ad tempus resurrectionis, ascensionis, & sessionis Christi ad dextram Patris referri. (2) In fontibus V. T. unde hæc & similes formulæ defumuntur, videntur Prophetæ ipsi hanc interpretationem

tationem suadere; nam *Dan. VII. 9. 10.* mentio fit *thronorum*, item *judicii*, quod *sedere dicitur*, i. e. *judicium*: porro *regni*, quod *sancti Altissimorum accipient v. 18.* rursus: *judicium sanctis altissimi datum dicitur. v. 22.* Tandem: *regni, dominii, & majestatis regnorum sub omnibus Cælis, qua dabitur populo sanctorum altissimorum. v. 27.* Ubi (1.) obs. opponere hic Prophetam regna mundi terrena sub figuris bestiarum, & cornuum, & Regnum Messiae, quod describitur quoad originem, modum, & durationem *v. 13. 14.* Videt Daniel cum nubibus Cælorum venientem Filium hominis, vel in figura Filii hominis ad antiquum dierum; qui dedit ipse dominium, & gloriam, & regnum, ut omnes gentes, & lingua colerent dominium ejus; quod dicitur regnum seculi, quod non transit & quod non peribit. (2.) Hoc regnum in interpretatione Mysterii, Angelus vocat: *Regnum quod sancti altissimorum* i. e. Sancti DEI, accipient; qui proinde sancti alii non sunt, quam subditi huius Messiae, qui e mundo segregati & per doctrinam ac fidem in Regnum DEI recepti sunt. (3.) Dicuntur: *sancti*, ceu populus Messiae, accepisse Regnum ejus licet id uni tantum, Messiae, competat; Sancti vero sub illo, & cum illo regnare dicuntur, unde & *Reges Apoc. I. 6.* nominantur: & *judicare mundum dicuntur. 1. Cor. VI. 1. 2.* nempe secundum voluntatem, præscriptum, & Verbum Regis ac Domini sui, quod nequaquam ad futurum iudicium supremum tantum pertinere potest, cum Regnum Christi & Sanctorum cum ipso jam in his terris ceperit, post resurrectionem & ascensionem ipsius. Sic idem Spiritus Propheticus in Apocalypsi: *Thronos, sessionem, & iudicium super illis* memorat, in oppositione ad inquieta illa tempora, ubi infideles tyranni, instigante Satana, Ecclesiam

B

perse-

persecutionibus infestabunt. vid. C. XX. v. 4. &c. & conf. CLUVERUS ad h.l. ubi ait: *Thronis bisce infedisse Christianos, qui cum Christo vivere & regnare soli possint*, confer. C. IV. 4. Ubi Johannes videt *in thronis sedentes seniores, qui cum Christo vivunt, & regunt Ecclesiam*; Sic dignitates ejusmodi hoc annorum Chiliade (quo nempe Satanas ligatus fuerat) *inprimis fuisse conspicuas*, judicat. Sic Apostoli in loco nostro dicuntur *in thronis sedere & judicare*, i. e. doctrina sua & Spiritu pios absolvere, & salvos predicare; mundum vero i. e. incredulos condemnare. Quod vero in loco Matthæi duntaxat *duodecim tribus Israel judicanda ponuntur*, id eo explicari potest, quod ad eas primum missi fuerunt Apostoli vid. Act. XIII. 46. ut supra.

§. XI.

Percontet quidem B. CALOVIUS, B. BALDUINVM quod locum Epistolæ ad Corinthios explicet *de fidelibus in his terris, qui opera, & studia mundi damnant, ex Verbo DEI, cum sermo sit de supremo judicio*, quia Apostolus mox de judicio super Angelos loquatur, quod demum in illo universali futurum sit. Sed facile pro B. BALDUINO respondetur, quod Paulus videatur sermone ascendere a minore ad majus, nempe a fidelibus in his terris ad Angelos in futuro judicio. Ceterum, si judicium hoc sanctorum cum analogia scripturæ, & locis antea allegatis conferamus, augustius quid indicare videntur, quam merum elenchum operum, & studiorum mundi, nempe distinctius judicium, in quo de vera & falsa religione, de salutari doctrina, & oppositis mundi erroribus, cum autoritate ad effectum submissionis, & obsequii debiti, aut condemnationis judicium exponi-

ponitur, quod tum etiam factum est, quando ad Imperia ac Regna Christiani sunt everti, destructis passim, & subactis infidelium Principatibus ac regnis, ubi adeo Apostoli cum sua doctrina antea pedibus quasi conculcata, & cum ipsis sancti, i. e. Christiani, *in thronos* quasi collocati sunt, & *judices mundi facti*, tantisper in hac vita, donec in altero iudicio universalis ipsi Christo ceu adfessores adjuncti iudicio ejus, tanquam supremi iudicis applausuri sunt, veluti testes doctrinae Christi ab ipsis praedicatae.

§. XII.

Quale hoc sit sanctorum iudicium & Apostolorum ex textu, & historia sacra aestimatur; dicuntur nempe *κρίνειν*, quae vox de re, vel persona usurpatur, quando quis rationem inquit, quanti rem, vel personam aestimet, vel faciat, aut etiam apud alios illud profitetur. In Vet. Testam. respondet vox *כָּשַׁף* & *יָדַף*, & accipitur hoc *κρίνειν* non tantum de iudicio mentis praecise, sed de iudicio, uti prodit in externum effectum, veluti *ordinationem* ac *discretionem* Reipublicae, quod est Imperantium Regum ac iudicum; Sic de Samsonē *Jud. XVI. 31.* dicitur, *quod Israelē iudicaverit.* Cum effectu poenae usitatissime sumitur, sic *Eccles. III. 17.* *DEUS* dicitur *iudicare* impios, i. e. punire, conf. *1. Sam. III. 13.* *Ezech. VII. 3.* *κρίνειν* vero, passive est litigare, uti in loco nostro ad Corinthios dicitur *κρίνεσθαι ἐπὶ τῶν ἀδίκων*, *litigare apud injustos.* Loquuntur vero loca nostra manifesto de iudicio externo cum potestate & autoritate, fit enim a *sedentibus in thronis*, uti expresse dicitur de Apostolis; idem vero etiam ad alios sanctos pertinet, uti supra annotatum est.

§. XIII.

Neque de Apostolis ullum esse dubium potest, eos potestatem, & Authoritatem judicandi habuisse a Christo; Sic ait *Matth. XXVIII. 18.* *Data mihi est omnis potestas in Cælo & in terra &c.* & rursus: *Sicut me misit Pater, ita & ego mitto vos. Iob. XX, 21.* Ubi mox subjicit: *Quorumcunque remiseritis peccata, eis remittuntur, & quorum retinueritis, erunt retenta. v. 23.* quod, quid aliud est, quam absolvere, & damnare, ac suo modo judicare? juxta Verbum DEI scilicet, & judicio spirituali; adde *Matth. XVIII. 17. & XVI. 18. 19.* Non vero de peccatis duntaxat & pœnitentia, judicant, sed de doctrina & veritate ad salutem pertinente, ac oppositis erroribus. Quam grave, & efficax erat illud Petri judicium super Judæos *Act. II. 22.* Ubi ait ad illos: *Virum potentem sermone, & signis, Christum nempe, vos crucifixistis; quo judicio magnus eorum numerus est conversus.* Rursus *C. III. 14.* severe percenset Judæos: *Vos, ait, sanctum & justum rejecistis, & postulastis virum homicidam, Authorem vero vite interfecistis &c.* Fuit ille sermo tam penetrans ac efficax, ut circiter quinque millia converterentur. *Act. IV. 4.* Quam grave, & severum erat illud judicium Stephani *Act. VII. Duri cervice, & incircumcisi corde, & auribus, vos semper resistitis Spiritui S. sicut patres vestri, ita & vos.* Aliquando judicium Apostolicum etiam pœnam simul inferebat, sicut exempla Ananiæ & Elymæ ostendunt. *Act. V. & XIII.* Sic & gentiles stultos idololatrias passim judicabant, & percensabant, veluti Paulus *Act. XIV. & XVII. conf. Act. XXVIII. 25. seqq.*

§. XIV.

Et quid sunt Epistolæ Apostolicæ in universum, quam
judicia

judicia sanctissima de via salutis, non tantum *duodecim tribus Israel*, sed universo orbi in, immediate, luce Spiritus S. exposita. Fuerunt nempe Apostoli Doctores totius orbis, & iudices spirituales. At, quæ dignitas! quanta gloria! hæc est, quæ quanquam variis injuriis ac persecutionibus obscurata fuerit, non tamen impediri poterat, quin suo tempore, die nempe pantocritico plena luce effulsura sit, quando nempe *cum Christo sedebunt in thronis & iudicabunt tribus Israel, & uniuersum mundum.*

§. XV.

Nam si verbum Christi in his terris prædicatum, tum iudicabit incredulos & immorigeros juxta *Iob. XII. 48.* certe & ipsi Apostoli, per quos Christus locutus esse dicitur *Ebr. I. 2.* hoc ipso iudices erunt illorum. Sunt vero iudicia illa non tantum doctrinalia, ceu quæ doctrinam salutis concernunt, de fide & moribus, sed & circa personas, quarum errores rejiciunt & damnant; Sic Iohannes de iis, qui doctrinam Christi non recipiunt, non recipiendos esse in domos, ait, *2. Iob. v. 10.* & Petrus sectas perniciosas, quæ dominum, qui eas pretio emit sanguine suo, abnegant, damnationi obnoxios declarat. *2. Petr. II. 1. 2.* Adversus securos, & mortuæ fidei iactatores pronunciat *Iacobus* Iudicium *C. II. 6. seqq.* Inprimis vero Paulus salutari doctrina ex professo in Epistolis explicata, adversus judæos, gentiles, hæreticos sanam doctrinam corrumpentes, sententiam pronunciat, eosque rejicit, & damnat, vid. *Rom. c. IX. X.* adversus judæos, *C. I. & II. adversus gentes.* Sic etiam male moratis & sceleratis sententiam indicat, veluti *1. Cor. V.* ubi Satana tradit incestuosum ad interitum carnis, & *C. VI. 9.* sceleratos omnes

& impios damnationi æternæ adjudicat. Neque vero sigillatim duntaxat in scriptis suis judicia proponunt Apostoli, sed & conjunctim cum *Presbyteris & Fratribus*; sive tota Ecclesia aliqua repræsentativa, ut in Concilio illo Hierosolymitano, super quæstione de necessitate circumcisionis *Act. XV.* Ubi sententiam suam & Spiritui S. & Ecclesiæ adscribunt, *v. 28.* Ex quo patet, non tantum Apostolos, sed & alios sanctos, sive Ecclesiæ membra judicandi potestatem in primitiva Ecclesia sibi asseruisse, licet non eodem modo, quo Apostoli, nec eadem mensura spiritus.

§. XVI.

Num autem Petrus præ reliquis Apostolis prærogativam, & potestatem Oecumenicam judicandi habuerit super reliquos omnes Episcopos, & Ecclesias? pridem a Protestantibus adversus pontificios negatum est. Videri potest sententia ipsorum discussa, & refutata inter plures alios a Magno Nostro B. GERHARDO in *Confessione catholica Tom. II. art. 3. c. 1. & seq.* & CALIXTO in *Responso adversus Moguntinos.* Inter Reformatos a CHAMIERIO in *Panstratia Catholica Tom. II. L. 2. & seqq.* Certe Petrus a Paulo reprehensus legitur ad *Gal. II. v. 11.* & id ipsum Pontificii haud pauci observarunt. Quod vero locum attinet, quo abutuntur *Matth. XVI. 18. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c.* quem locum pro primatu Petri & Romanorum Pontificum adferre solent. Ad illum itidem sæpe ac solide responsum est; vid. interim, qui prolixissime de eo disseruit adversus pontificios CASAUBONUS in *exercitationibus, exercit. XV. sect. 12.* Sed nec societas Pauli cum Petro in illa prærogativa ullo fundamento nititur;

nititur; quod contra *Arnaldistas* alii pontificii laboriose demonstrarunt vid. B. ITTIGIUS in *Heptate Dissert. Disp. 4. De origine controversie de aequali Petri & Pauli primatu*, addatur PETRUS DE MARCA in libro *de concordia Sacerdotii & Imperii Dissertatione de primatu Petri.*

§. XVII.

Ceterum adeo non ad unum summum judicem in rebus sacris & Ecclesiam concernentibus judicia restricta sunt, ut potius ad integra collegia & coetus, jam Apostolorum tempore extensa sint, juxta præceptum nimirum a summo Magistratu datum *Matth. XVIII. 17. Dis Ecclesia &c.* quod mandatum ad omnia tempora se extendit, quæ Ecclesia aliqua existit & viget; concernit autem præcipue peccata graviora, quæ vel errores sunt intellectus fundamentales, in fide & pietate; Vel delicta voluntatis moralia *Gal. I. 8. & c. V. 19.* Sermo ibi, in loco Matthæi, est de judicio severiore in excommunicationis fulmen erumpente; cum minora, ubi non est pertinax malitia, inter paucos vel ab uno expediri queant. Ecclesia vero ex usu N. T. non unam tantum personam, ut subinde fingunt pontificii in gratiam Pontificis, nec tantum statum Ecclesiasticum hic notat, sed constantem coetum ex singulis statibus, uti videre est præter alia plura loca *Act. XV. v. 22. Visum est Apostolis & Presbyteris cum tota Ecclesia.* Unde & Paulus judicium contra supra dictum incestuosum eum Ecclesia exercuit. *1. Cor. V. 4.* Nec adeo dubitari potest, jam Apostolorum tempore Presbyteria fuisse e senioribus & laicis composita. Non enim singuli in coetibus idonei sunt ad dijudicandas causas, unde ordo & necessitas postulabat, ut aliqui, iique prudentiores seligerentur, connivente inte-

fide

rim Magistratu gentili. *Cum enim nulla in orbe societas, ita minime omnium Ecclesia sine ordine esse possit, qui in rebus, ad se unice spectantibus, teneatur, veluti vocatio Pastorum, ordinatio rituum, & morum Christianorum, qualium, censura atque correctio, juxta regulam verbi Dei esse debebat, ut omnia ordine fierent, & decenter. Nec enim possibile erat, ut, cum judicium morum christiana-rum jubente Christo ad Ecclesiam esset deferendum, uni-versa Ecclesia in omnibus suis singulisque membris judica-ret, sed id necessario quibusdam, qui pietate & gravitate pra-cellerent, ab Ecclesia erat committendum.* conf. B. D. FECHT. *in Tract. De excommunicatione p. 28. seq.* Neque tamen illa Ecclesiae gubernatio non distincta erat a civili, utpote, qua res, Ecclesiae proprias, curavit. Et hoc modo se habebant judicia sanctorum tempore Apostolorum, & paulo post.

§. XVIII.

Non Varii post hæc modi fuere in Ecclesia administrandi ju-dicia sanctorum; nam prout illa incrementa cepit, & multi-plicatae sunt causae sacrae, atque status civilis constitutus est, Collegia quoque judiciis destinata fuere, & rerum multitu-do, velut in partes divisa, atque tractationi subiecta est, con-venienter nempe officii, quibus quisqueungebatur. Pasto-ribus tamen, & Ecclesiae Doctoribus suae partes mansere, ita ut graviores causae Ecclesiasticae pluribus dijudicandae com-mitterentur. Ingens vero discrimen est inter judicia Apo-stolorum in Scriptura S. proposita, & inter ea, quae post A-postolos Ecclesia exercuit; illa enim priora, quae a divinitus inspiratis scriptoribus prodierunt infallibilia sunt; hæc autem non nisi, prout scripturae prorsus congrua sunt. Nam quod
Episco-

Episcopo Romano, ceu iudici supremo *infallibilitas* adscripta est, id sine fundamento factum, quod non hoc loco deum excutiendum est, dum pridem tot Theologi istam hypothesin confutarunt, etiam ipsi pontificii Galli, nominatim LAUNOIUS *in literis provincialibus*; PETRUS de MARCA antea nominatus, in libris de Concordia sacerdotii & Imperii, & post ipsos DU PIN in Lib. *De antiqua Ecclesia disciplina*; *Dissert. 5.* tota; ubi argumenta adducit (I.) ex Scriptura S. (II.) ex Veteris Ecclesie disciplina. (III.) Exemplis pontificum Romanorum, qui de facto a fide & veritate deviarunt. (IV.) Ex recentiorum Pontificum pugnantibus inter se decisionibus. (V.) Ex eorundem confessione. (VI.) Ex decretis Conciliorum. (VII.) Academia- rum suffragiis; quæ argumenta etiam fere LAUNOIUS attulit.

§. XIX.

Quanquam vero post Apostolos nec uni, nec pluribus in Ecclesia indeficiens prorsus iudicium fuerit impertitum; tamen effectum habuere fructumque suum iudicia, præsertim non impediuntibus Principibus illis ethnicis ante Constantinum M. qui non infensi erant Christianis, aut persecutionibus suis eos infestabant; *in promptu enim erat adversus morosos correptio publica, confessio delicti in Ecclesia, ad extremum excommunicatio, & ab usu sacrorum publicorum omnimoda exclusio*; conf. HULSEMANNUS *de jure & moderatione correptionis fraternalis* §. XV. add. PUFENDORF *de habitu religionis Christiane ad vitam civilem* p. nov. adit. 137. Si graviores causæ, sive controversiæ fidei expediendæ erant, ad synodos & concilia recursus fuit. Num

C

vero

vero jurisdictio & imperium civile necessaria sint ad Ecclesiastica judicia? quæsitum est apud Theologos & Politicos. Nam si excludatur aliquis pertinax a synaxi, & ab Ecclesia, & expungatur ex albo Christianorum, in ipsius tamen adhuc potestate est, parere, vel non parere, & si adhuc se intrudat, & concurrat ad preces communes in Ecclesia, num Ecclesiastica potestate poterit vi extrudi? Si autem pareat excommunicationi, & reducat seipsum ad statum publicani & ethnici; an tale quid corrigit, propter quod excommunicatus est; num & propterea ab eo obtinuimus, quæ volebamus? minime! & tamen non suppetunt alia media coactiva ex Ecclesiastica potestate; quid ergo super est, quam ut poena temporali refractarii coerceantur, quæ adeo aliquando necessaria est; Ubi vero ad Magistratum Civilem confugere debet Ecclesia, quippe, qui non sine causa gladium portat *Rom. XIII. 4.* conf. M. ANTON. de DOMINIS de *Republica Ecclesiast. L. V. C. II.* Ubi etiam exempla aliquot Conciliorum adducit, quæ adversus immorigeros Regiam potestatem implorarunt, veluti *Vernensis*, item *Concilii Turunensis III.* Sic & in controversiis fidei, si quis excitaverit quæstionem, præter receptam doctrinam, vel ab ea aberraverit, ut turbas excitarit, nec se emendari & doceri passus; coercendus utique erat iudicio civili, non quod fides cogi possit, sed quia nullus in Republica litium finis esset, & perpetuis turbis consumeretur Respublica, ut bene loquitur B. BRUNNEMANNUS *Jctus in jure Ecclesiastico L. I. C. II. §. 17.* quod vero subjicit: *Principis esse alterutram opinionem eligere, ac adversam ne publice doceatur, prohibere, & hoc Principis arbitrium in tali casu magis sequendum esse, quam privatam cujusque opinionem;* distinctius pronuntiari debet,

debet, nam (1) quod ait; Principis esse alterutram opinio-
nem eligere, de libera electione, quæ non regula Verbi Div.
adscripta sit, intelligi non potest. (2) ait: Principis judici-
um in tali casu magis sequendum, quam privatam unius
cujusque opinionem. At privati judicium sæpe sanctius &
purius est, quam Principis, etiam a Theologis informati;
itaque & hic respectus personæ cedere debet, & unice mens
Spiritus S. in scriptura sacra attendi, ubi Apostolica regula tenenda: *Omnia probate, quod bonum fuerit, tenete 1. Theff. V. v. 21.* Judicium tamen illud privati discretivum, si rectum sit, non eo extendi potest, ut contra Principis arbitrium divulgetur, & turbæ excitentur.

§. XX.

Postquam ad Christianos sub Constantino M. res Ro-
manæ cum Imperio devenerunt, Imperatores & Principes
Christiani ipsi de Ecclesia, & rebus eo pertinentibus, solliciti
fuere, ac judicia non tantum in civilibus, sed & in Ecclesia-
sticis instituerunt, ac direxerunt. Cunque hætenus res
quasvis sacras & civiles, sive profanas, Christiani juxta ordi-
nationem Pauli *1. Cor. VI. 2.* per judicia sua propria inter se
expediverint, vel expedire debuerint, circa varias causas
exortas, nunc illa in universum curis accessere Regiis, seu
Principum; Unde jam diversa administrandi ratio fuit. *Con-
stantinus M. potestatem amplissimam concessit Episcopis, cau-
sas omnis generis, quæ vel pratorio jure, vel Civili, tractanda
essent, cognoscendi ac adjudicandi, & sententias eorum ratas
præ omnibus aliis haberi voluit.* Huc pertinet, quod EUSE-
BIUS annotavit in libris *de Vita Constantini M. L. IV. C. XXXVII.* ubi scribit: *Imperatorem Episcoporum sententias au-*
thori-

eboritate sua confirmasse, ita ut provinciarum rectoribus, que in Conciliis promulgata essent, non liceret rescindere; Cuius enim iudicio preferendos esse Sacerdotes DEI. Imo & litigantibus, ut SOZOMENUS testatur, permisit, ut ad Episcoporum iudicium provocarent, si Magistratus civiles rejicere vellent, eorum autem sententia rata essent, aliorumque iudicium sententiis prevalerent, perinde ac si ab Imperatore ipso data fuissent, atque res ab Episcopis iudicatas ratione provinciarum earumque officiales executioni mandarent. Sic etiam leges tulit: Ut quicumque in Ecclesia sub testimonio sacerdotum libertate donati essent, civitatem Romanam consequerentur. SOZOMENUS in Hist. Ecclesiast. L. I. C. IX. Postea tamen sub Valente Imperatore Gratiano & Valentiniano potestas illa Episcoporum judicialis admodum restricta est, ita ut ordini Episcopali tantum dissensionum leviumque delictorum ad religionis observantiam pertinentium cognitio permetteretur. Tempore vero Honorii & Arcadii Imperatorum omnimoda negotia Civilia iudicio ordinis Ecclesiastici permessa sunt, quoties ex consensu litigantium deferbantur; Uti SELDENUS in libro de Synedriis L. I. C. X. prolixius ex antiquis Imperatorum legibus & edictis observavit; idem SELDENUS annotavit ex dictis monumentis, quod anno 399. novum accesserit temperamentum ac prohibitio, qua iurisdictio Ecclesiasticorum ad actiones tantum de religione angustata est, causeque, alie ad ordinarios cognitores deferenda; atque sic iterum abrogatum est, quod de iudicio compromissario antea introductum.

§. XXI.

Quanquam vero in angustos terminos redigeretur potestas judicialis ordinis Episcopalis, non tamen omnes intra
 termi-

terminos constitutos se continebant. Nam & Romanus & Alexandrinus Episcopus nihilominus potestatem regendi omnimodam sibi asseruerunt, teste SOCRATE in *Hist. Ecclesiast.* de Episcopis Alexandrinis. L. VII. c. 7. Ubi scribit: eos sacerdotalem gradum & ordinem supergressos, principatum quendam obtinuisse, & cuncta pro imperio agere cepisse; & C. XI. Episcopum Romanum perinde ac Alexandrinum ultra sacerdotii fines progressum, jam olim in dominium degenerasse. Circa medium Sec. V. cum variæ querelæ exorirentur de Episcopali iudicio, quod fines suos egrediatur, Valentinianus III. Imperator Præfecto prætorii & Patritio ita rescriptit: *De Episcopali iudicio diversorum saepe causatio est, ne ulterius querela procedat, necesse est præsentē lege sanciri. Itaque cum inter clericos iurgium vertitur, & ipsis litigatoribus convenit, habeat Episcopus licentiam iudicandi, præeunte tamen vinculo compromissi. Ut & de laicis, si consentiant, auctoritas nostra permittit, aliter eos iudices esse non permitimus, nisi voluntas iurgantium interposita conditione præcedat. Quoniam constat, Presbyteros & Episcopos forum legibus non habere, nec de aliis causis secundum Honorii & Arcadii divalia constituta, quæ Theodosianum corpus ostendit præter religionem posse cognoscere. Si ambo litigatores nolint vel alteruter, agat publicis legibus, & jure communi; ut idem SELDENUS ex novella Valentiniani l. c.*

§. XXII.

Inde quo magis dignitas & potentia Episcopi Romani accrevit, eo magis a legitimis iudiciis sanctorum discessum est, & vi ac potentia potius actum, quam jure ac legibus Scripturæ, unde non sanctorum iudicia erant, sed impiorum

potius & in justorum, prout nempe Romani Episcopi, exclusis aliis, omnem iudicandi potestatem & auctoritatem ad se pertraxerunt; tam eam, quæ est in secularibus, quam in sacris & Ecclesiasticis; tum personas, tum res Ecclesiasticas & seculares concernentem, qui abusus potestatis iudicialis in Hildebrando sive Gregorio VII. ad summum ascendit fastigium. Huc pertinet illud statutum Hildebrandinum: *Pontifex omnia iudicat & in spiritualibus & in secularibus; Ipse vero a nemine iudicatur, nec ab eius sententia datur provocatio.* conf. CALIXTUS in digressionem de arte nova, ubi dictatus illos, cum aliis gravissimis erroribus ex scriptoribus pontificiis exhibet. Inter illos dictatus etiam istud caput extat: *Majores cause cujuscunque Ecclesie ad Papam referri debent;* hinc Episcoporum cause iudiciis ordinariis subductæ, & ad Papam pertractæ sunt. Neque vero Episcoporum tantum cause eo defluerunt, sed & in seculares causas personarum popularis ordinis se ingessit Papa; Inde querelæ Principum & ordinum secularium Germaniæ in gravaminibus ipsorum, ubi ajunt: *Pontifices Romanos ad petitionem personarum Ecclesiasticarum, laicos non raro in causis profanis, puta, hereditatum aut pignorum, & in prima quidem instantia coram se Romam citare, & in jus vocare;* rursus: *Cum Roma quispiam interposito juramento asserit, se non sperare justitiam apud iudicem competentem in Germania, protinus ad tale juramentum admittitur, ac citatio ei contra partem agentem decernitur.* Item: *Sanctitas pontificia ad Ecclesiasticarum personarum petitionem iudices delegatos & Commissarios tanquam Ecclesiasticos iudices per Germaniam concedere solet, ut impetrantes de hinc laicos cujuscunque etiam dignitatis, vel præminentie, coram ita delegatis in causis profanis iudicentia*

cio convenire possit; conf. illustris CONRINGIUS Dissert. de Germanici Imperii judiciis p. 256. Tr. de Republica Imperii Germanici. Fuit vero quoque haud exigua diversitas judiciorum in foro seculari, quam explicare non est hujus loci, nisi quod summatim annotari potest; illa judicia fori secularis instituta esse, & institui potuisse ex capite potestatis, & status Civilis, & haecenus nihil *ἀναξίας* contraxisse, etsi de cetero variis mutationibus & incommodis obnoxia fuerint, inter quas & illud memorabile est, quod Principes ac Civitates, postulante ita necessitate, *Compromissaria* instituerunt judicia, qualia etiam *Reuttlinge* in Patria mea obtinuisse, ex antiqua historia notum est, conf. memoratus CONRINGIUS l. c. p. 264.

§. XXIII.

Ad incrementa vero illius papalis monarchiae, & arreptae potestatis judicandi super mundum, tam in secularibus, quam in spiritualibus varia concurrerunt praesidia & pretextus tam *juris*, quam *factorum*. Nam, quod prius attinet, non tantum ex scriptura N. T. sed & V. varia allegarunt argumenta pontificii Doctores, quae passim apud *Polemicos* leguntur; quae & hoc loco demum repetere post crambem saepius coctam & recoctam, tædiosum esset; cum praesertim intra brevitatem institutum nostrum coerceatur. Quod vero pretextus juris & judicia humana concernit inter alia sunt concilia antiqua, quae pontificiae potestati, prodesse videntur. Veluti in hunc finem allegant Canonem VI. Concilii Nicani, de quo praeter alios prolixè HOORNBECKIUS in *summa controversiarum* Cap. ubi de *controversiis Graecorum* agit; ita etiam *Concilii Sardicensis* canones pro illa potestate solent

solent alligari, quos vero prolixo examine discussit DU PIN in *Disciplina Ecclesiastica C. III. §. III. seqq.* Accedunt facta, & inter illa maxime *adpellationes*, quas vocant ad sedem Romanam, de quibus itidem memoratus DU PIN, & ante ipsum BALUZIUS in commentatione ad *decretum Gratiani*, in erudita & prolixa praefatione.

§. XXIV.

In hac vero corrupta judiciorum forma, illud maxime deplorandum erat, quod unica norma recte judicandi in sacris supressa est, & veluti sepulta, verbum nempe DEI in scripturis contentum, quo magis enim illud monstrum potestatis pontificiae irrefragabilis irrepsit in Ecclesiam, & Doctorum animos, eo minus respiciebatur Spiritus S. iudicium in verbo DEI, & cuncta e scrinio pectoris papalis petebantur; quicquid ipse statuit, aut ab aliis veluti Conciliis vel Episcopis statutum probavit & confirmavit, id ratum erat, & vim legis obtinebat. Inde *jus novum pontificium* emanavit, in *Decretales, Clementinas, & Extra vagantes* collectum, quod alia decreta & Bullae, quas vocant, unde Bullaria dicta secuta sunt. Antiquos vero canones e conciliis antiquis veterum Pontificum decretis & Patribus Sec. XII. post Ivonem Carnutensem, & Burcardum Wormatiensem collegit Gratianus; hinc opus adpellari solet *Decretum Gratiani*; cui si jungas *decretales Epistolas*, patebit, quomodo paulatim vetus disciplina, & judicia sanctorum degeneraverint. Negandum tamen non est, reperiri ibi subinde, quae cum Scriptura, jure naturae, legibusque divinis, & sanioribus humanis congrua sunt, sed intermixti varii errores, & abusus, ut ipsa testatur ocularis in spectio.

§. XXV.

§. XXV.

Quamvis vero ut antea dictum, arrogantia Hildebrandi, ad istud fastigium evecta sit potestas Paparum, tamen non statim ad praxin monarchica sua consilia deducere potuit. Nihilominus adhuc Magistratus Civilis judicia sua exercuit in Ecclesiasticas personas, etiam altioris ordinis. Testatur enim OTTO *Frisingensis* in rebus Friderici I. Imp. *L. I. c. 62.* quod dissidentibus Trajectensibus *de Episcopi electione* Rex Conradus causam susceperit dijudicandam, parte autem altera provocante ad Papam a Cæsare, illam læsæ majestatis damnatam esse, & *Trajectenses* hac de causa pœna pecuniaria multatos; add. *L. II. C. 4. & 10.* tibi memorat, quod Cardinalis Gerardus nomine ad terminandam Magdeburgensis electi causam missus, indignationem Imperatoris incurrens, infectis, quorum causa venerat, inglorie redire coactus, in via vitæ decesserit. Rursus Cleri Coloniensis controversiam auditis partibus finivit *C. 31. 32.* Plura exempla inprimis vero Caroli V. Imp. qui prisca Republicæ jura feliciter vindicare cepit, annotavit CONRINGIUS *l. c. p. 245.* Jam antea tamen etiam prævaluit auctoritas papalis, postquam consilio Honorii Pontificis, Fridericus II. Cæsar constitutionem de libertate Clericorum promulgavit, sed & illa cum Pontifice amicitia non diu stetit, utpote a quo excommunicatus est, teste CONRADO *Urspergensi in Chronico p. 247.* Ubi literæ exhibentur, quæ Imp. Fridericus II. de illata sibi injuria conqueritur. Honorio successit in Papatu Gregorius X. qui itidem excommunicationis fulmen evibravit in ipsam teste *Monacho Paduano apud Ursisium p. 588.* facta tamen compositione absolutus fuit. Brevi post tempore Innocentius IV. eandem

In ipsum sententiam excommunicationis tulit, & cum Imperio & omni honore privavit, ut habet *Fragmentum Historicum* ALBERTI *Argentiniensi Chronico* præfixum, p. 91. Neque successores proxime secuti meliorem fortunam experti sunt.

§. XXVI.

Et talia quidem fuere judicia Episcoporum in summa capita. Interea & jus illud novum Pontificium, i. e. Canonicum, magis magisque invaluit, nec tantum Ecclesiasticæ, sed & seculares res ad illud expeditæ sunt, adeoque ad Curiam Papalem pertractæ, magno partium litigantium damno & sumptu. Res tamen seculares ab iis, qui Pontificiis partibus non fuere addicti, liberius ad normam juris & æqui, quæ homini inſita est, & in Scriptura subinde repetita, & explicata, dijudicari potuerunt. Cum vero adplicatio in specialibus difficilis admodum sit, & impeditæ dijudicationis, ob infinita propemodum negotia, in quæ vita humana, postquam præsertim mollior & delicatior evasit, diffusa est, & affectuum æstus, cupido lucri, invidia, & similia accesserunt vitia, regulæ judiciorum & legum ex antiquis prudentum responsis, Principum rescriptis, & constitutionibus, collectæ sunt; cujus instituti exemplum habemus in *Corpore Juris Justiniano*, sive *Triboniano*, quod dum veluti consopitum, delituit diu, seculo Christiano XII. quasi resuscitatum est in Italia, serius vero ad Germanos pervenit. Ubi vero ipsum quoque forum seculare varias mutationes passum est, controversiis judicandis; de quibus Scriptores Jurispublici & privati. Nos hoc tantum notamus; litibus & controversiis finiendis, adeo non suffecisse instituta illa, ut potius aliquando immortalitatem iis conciliaverint, vel illas immane quan-

quantum amplificaverint, partesque vel in deploratissimum
 statum præcipitaverint, vel in eodem reliquerint. Notum
 est iudicium LIPSI in *Ep. ad Amicum* & in monitis politicis,
 a Viris Doctis, & extra adfectum positis enotatum: „Bona
 „venia, ait, hoc dicam, dubitare me, an bono consilio in
 „vitam & usum Jus Justinianeum -- -- revocatum sit: Sic
 „dico, totum & plenum. Non quin bona in eo, arguta,
 „& a seculo veteri: sed nimis fortasse bona, arguta, vetera:
 „& ideo seminarium ingeniis ad calumnias, fraudesque pan-
 „gendas. Dic sodes, quam multa in eo, quæ usum non ha-
 „bent? quam multa implicata, & variantibus sententiis eno-
 „danda? quid, si pugnancia quædam dicam? Sed vix ausim, --
 „& de jure ipso prisco parum etiam sit: sed Commentarii
 „quam multi & pæne infiniti accesserunt! atqui & ii, si
 „concordant vim legis in tribunalibus nostris poscunt. A-
 „MELII vetus querela, an scomma fuit, *jurisprudenciana*
 „*multorum camelorum onus esse*, quid nunc dicam? Ele-
 „phantos ab India adde, vix ferent. Atqui Platonis Ora-
 „culum auribus meis insonat: *quod ubi leges multe, ibi est*
 „*lites multe, et vita moresque pravi.* -- Quomodo autem
 „non & *mores pravi*? Nam primum concordia tollitur,
 „odia aperta aut occulta in animis gignuntur; adde fraudes,
 „insidias, & studium vincendi quovis nexu ac supplantandi,
 „*Non enim*, ut CELSUS verissime scripsit, bona conscien-
 „tia, sed victoria litigantis est præmium. De multis hoc
 „dico, absit de omnibus,, hætenus LIPSIUS.

§. XXVII.

Hæc propterea repetere, & huc exscribere sustinimus,
 ut nobili argumento ad animum revocetur, quantum a prisca

simplicitate & charitate judicia Christianorum defecerint,
 & cuncta litibus resonent, atque controversiis, cum alia
 prorsus mens olim sederit sanctis; Sic enim Paulus *1. Cor.*
VI. 7. Jam quidem omnino delictum in vobis est, quod lites
inter vos habeatis invicem; non quod pii in mundo plena
 pace frui possint, & absque omnibus controversiis vivere,
 oportet enim & scandala & schismata, supposito statu pec-
 cati, in mundo esse, sed quod in rebus levioribus Christiani
 potius condonare debeant, quam ad lites proflire, & pati
 potius injuriam aliquam & damnum; sed his fecibus mun-
 di, veludi furdo narramus fabulam. Interim gratulari sibi
 possunt **PROTESTANTES**, quod a jugo illo *judiciorum*
pontificiorum Divina Gratia, B. LUTHERI accedente opera
 liberati fuerint. Conqueruntur de illis *Protestantes in Ar-*
viculis Schmalcaldicis p. 354. „Quod Episcopi jurisdic-
 „nem illam communem excommunicandi reos manifesto-
 „rum criminum, quæ pertineat ad omnes Pastores, tyran-
 „nice ad se solos transfulerint, & ad quæstum contulerint.
 „Constat, ita pergunt, officiales, uti vocantur, non tole-
 „randa licentia, usos esse, & vel avaritia, vel propter alias
 „cupiditates excommunicasse **SINE ULLO ORDINE JU-**
 „**DICIORUM.** Quæ est autem tyrannis, officiales in civi-
 „tatibus habere potestatem, suo arbitratu, **SINE ORDINE**
 „**JUDICIORUM,** damnandi & excommunicandi homines?
 „Et hac potestate qualibus in rebus abusi sunt? Videlicet
 „non in puniendis veris delictis, sed in jejuniis, aut feriis
 „violatis, aut similibus nugis. Porro cum hoc crimen sit
 „gravissimum, certe **SINE ORDINE JUDICIALI** nemo
 „damnandus est. Cum igitur hanc jurisdictionem Episco-
 „pi tyrannice ad se solos transfulerint: nihil opus est, propter
 illam

illam obedire Episcopis. Sed cum sint iustæ causæ, cur non, obtemperemus; rectum est, & hanc jurisdictionem reddere, re piis Pastoribus, & curare, ut legitime exercentur ad morum emendationem & gloriam DEI.,,

§. XXVIII.

Huc tendit inter alia Reformatio Magni Nostri B. LUTHERI, cujus fructus & hic fuit, quod & norma judicandi juxta mentem Spiritus S. Scriptura sacra hæcenus veluti sepulta, fuit restituta, & forma sanior sacri judicii, ac censuræ Ecclesiasticæ revocata est; limites præsertim potestatis Ecclesiasticæ & Civilis rite distincti sunt. Initium proinde B. LUTHERUS fecit in INDULGENTIIS, fundamento omnis perversæ disciplinæ, & corruptionis judiciorum sacrorum; nam ex illis fluxit abusus clavium regni Cælorum; illæ enervarunt studium pietatis; illæ prodiderunt maximum abusum potestatis Ecclesiasticæ; illæ tyrannidem papalem in Ecclesia manifestarunt, Regnum Gratiæ & Gloriæ confuderunt. Uno verbo; Potestatem & Majestatem Summi Judicis CHRISTI IESU humanis consiliis & institutis subjecerunt. Unde mirum non fuit DEUM haud aliunde JUDICIUM SUUM super Ecclesiam Romanam auspiciari voluisse, quam a destructione indulgentiarum. Quo sine dubio pertinet illa de B. LUTHERO prophetia in Angelo Apocalypitico. C. XIV. v. 6. 7. *Qui per medium Cæli volavit, Evangelium habens æternum - - dicensque magna voce: Time DEUM & date ei honorem, quia venit hora judicii ejus &c.* quod certe non demum de futuro judicio accipi potest, sed de illo ipso, quod tum præsens erat in B. LUTHERI Reformatione, quippe in præterito dicit Angelus *in 12.º, venit hora judicii.*

Nimirum cum haftenus iudicia sanctorum variis modis corrupta fuerint, ut supra ostendimus, & in impias censuras, ac tyrannidem pontificiam degenerarint; DEUS T. O. M. ut coetum suum a jugo humano liberaret, sub iudicium suum vocavit abusus illos per B. LUTHERUM, & vindicavit destructione Anti-Christi, ceu fontis illorum majorum, juxta prophetiam *Esaia XI. v. 4. Percutiet terram virga oris sui, & Spiritu labiarum suorum interficiet impium;* i. e. ut commentatur B. GERHARDUS noster: *Christus per predicationem Evangelii, Anti-Christum & regnum ejus destruere incipiet, & in glorioso suo adventu penitus eum delebit, ac cum reliquis impiis infernali supplicio adjudicabit. Sic enim interpretatur Paulus 2. Thess II. v. 8. tum revelabitur impius ille, quem Dominus conspiciet, ac consumet, i. & potentiam & vires ejus frangat.* Quod jam tum factum est per B. LUTHERUM, & pios ejus Assedas, effectumque, ut amplissima Regna a Papa deficerent; *Germania, Dania, Suecia, Borussia, Hollandia &c.* Ab eo tempore Ecclesiae Protestantium legibus suis Ecclesiasticis quietius reguntur, habent *agendas* suas, ubi publica praedicatione Evangelii, administratio Sacramentorum, preces ad certa tempora, dies, & horas adstringuntur, ceremoniae & ritus, quibus fidelium devotio excitatur, & adjuvatur, praescribuntur. Accedunt *Consistoria*, Superintendentium & Pastorum opera atque officia, per quos Disciplina Ecclesiastica exercetur, iudicia dispensantur, & quaecunque ad decus, ordinem, & utilitatem Ecclesiae pertinent, constituuntur. In hunc pacatum Ecclesiae statum summo DEI beneficio etiam REUTTLIN-
GA

GA Patria mea inter primos veritatis *Confessores* a jugo papali translata est; Cooperante tum maxime Dn. B. MATHEO AULBERO, ut docet ex actis publicis Prænobilissimus Dn. BEGERUS, Syndicus & Consiliarius Reuttlingsis: In der umständlichen Relation, wie es mit der Reformation der Stadt Reuttlingen; welche Relation Er auf Veranlassung des fürtrefflichen Herrn Barons von SECKENDORFF übernommen: hergangen.

§. XXX.

Quemadmodum vero nihil in hac vita perfectum est, ita nec judicia sanctorum, etiam tum, cum a jugo & pontificiis abusibus vindicata sunt. Patet id partim ex superioribus, partim ex imperfectione & miseria *Ecclesia militantis*, in qua cuncta bona tantum *à pro mègus* sive *ex parte* se habent; perficienda demum in altera vita. In hac enim sunt lites, scandala, schismata, & quibus etiam primitiva Ecclesia, cum adhuc Virgo esset, non fuit libera, ac pura, multo minus sub finem mundi talis futura; Utpote de qua ætate Spiritus S. contumaciam, securitatem, & impœnitentiam prædixit, adeo, ut si fieri possit, etiam electi seducantur vid. *C. XXIV. Matth. 24.* & conf. *Luc. XVIII. 1. seqq.* Ubi Christus videtur parabolam de iniquo Judice ex genio illorum temporum sumfisse. Et, si Filius DEI venturus vix reperiet fidem in terra; quid putas, sperandum esse de judiciis sanctorum? Nonne Apostolica doctrina suprimetur, & Anti-Christus adhuc, licet lethale vulnus acceperit per Reformationem, caput eriget, nonne calcabit quantum in ipso est, omne sanctum iudicium? itaque necesse erit, ut DEUS sanctos suos penitus liberet, sicut igitur in diebus Noë iudicium gravissimum DEI immisione diluvii erupit, & finem fecit impietati; sic sub finem mundi

mundi iudicio illo suo solenni erumpet omnisque perversi iudicii finem faciet; Ipse vero DEUS erit Judex Filio visibiliter iudicium administrante in humana natura *Iob. V. 27.* & tum demum effulgebit character ille sanctorum in gloriose iudicando, & juxta promissionem quidem in loco nostro sanctorum Apostolorum *Eph. III. v. 5.* quod omnino intelligendum, de eximia quadam gloria, quam Apostoli præ aliis sanctis habebunt in iudicio. Erunt autem iudices non per potestatem *αυτοκρατορικην* quæ solius Christi est, sed *dependentem* a Christo & *subordinate* ut Ministri & Adfessores. Statuet enim Christus coram Tribunali suo in Apostorum & Sanctorum conspectu impios, suos & Ecclesie hostes, ad audiendam sententiam condemnatoriam, quam Apostoli adprobabunt non modo, & voce publica subscribent, sed & testificabuntur de sancta fide, operibus, præsertim beneficentia & liberalitate sibi præstita. Judicabunt vero specialiter per doctrinam a se prædicatam, cui suffragabuntur Ecclesie Ministri, quorum sermo, quia est Christi sermo, iudicabit eos, *Iob. XII. 48.* Adplaudent omnes sancti & gaudebunt; Impii vero perturbabuntur timore horribili *Sap. V. 2.* Ceterum, quomodo hoc iudicium se habiturum sit, determinatius indicari non potest. Id vero certum est, sub initium omnes sanctos etiam Apostolos coram Tribunali Christi sistendos esse, ut audiant absolutoriam Christi, mox vero ut Adfessores iudicium Christi super impios & damnatos. Angelos adprobabunt, conf. GERHARDUS in LL. de iudicio extremo.

O JESU hilf zur selben Zeit,
 Von wegen deiner Wunden,
 Daß ich im Buch der Seeligkeit
 Wird eingezeichnet finden,
 Daran ich dann auch zweifle nicht,
 Dann du hast ja den Feind gericht,
 Und meine Schuld bezahlet.

S. D. G.

Fr. Edm.

St. Maria

St. Michael

St. Johannes

St. Peter

St. Paulus

St. Agathe

St. Barbara

St. Ursula

St. Katharina

St. Margareta

St. Verena

St. Walburga

St. Hildegard

St. Gertrud

St. Elisabeth

St. Anna

St. Margareta

St. Barbara

St. Ursula

St. Katharina

St. Margareta

St. Barbara

St. Ursula

I, A

